PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 196r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



iocunda sumendum est ¶ sed cum de utilibus quando de deliberatione tractabamus: satis dictum est / de iocundis impresentiarum tractemus.

Capitulum undecimum / De iocundis

Oportet enim diffinitiones has sufficientes putare si ita se habent: ut de unoquoque neque absture sint: neque absolutissime ¶ Supponatur autem igitur nobis: voluptatem esse motum animi quendam ac affectionem tantam simul et sensibiliter in naturam proficiscentem dolorem vero contrarium ¶ Quare si hoc voluptas sit: patet iocundum id esse: quod dictam affectionem efficit: triste vero aut dolorosum vel eius corruptivum vel contrarie affectionis effectivum ¶ Ita iocundum necessario est: tam quod secundum naturam ut plurimum proficiscitur: ac maxime cum que natura fiunt: iam naturam suam et consuetudinem consecuta sunt: quod enim usitatum est: quasi iam in natum esset gignitur ¶ Nam cum sepe ipsum: ipsi semper proprium sit: et ipsius quidem semper natura sit: ipsius vero sepe consuetudo: nature consuetudo similis est: quam quod violentum non est. Vis enim preter naturam. Itaque tristis necessitas est recteque dicitur violentum omne natura dolorem efficere. Quare cura serea conatus: tristia sunt: necessitudine enim ac vi fiunt: nisi qui faciunt assueti sint ¶ Horum vero contraria iocunda sunt ¶ Id circo desidia iocus quies accubationes somnus in iocundis sunt: cum nichil horum vi fiat ¶ Preterea cuius cupiditas in est: omne iocundum. Nam cupiditas iocundi appetitio est ¶ cupiditatum autem alie sine ratione sunt: alie cum ratione ¶ Irrationales dico: quas ex nulla cogitatione cupiunt quales sunt: que natura esse dicuntur ut que sunt per corpus veluti alimenti sitis ac fames ¶ Et autem in singulis etiam alimenti speciebus cupiditas et in gustabilibus atque venereis et universaliter in tangibilibus et in olfatu odoris et in auditu atque visu ¶ Rationales vero: cum quedam persuasi cupiunt. Nam multa et expetere et possidere cupiunt: cum adiuverint: persuasique fuerint ¶ Verum quoniam